Stovacii Francisci: Quaestio physica de motu coelorum.

QVÆSTIO PHYSICA

de motu cœlorum,

à

M. FRANCISCO SŁOVACIO,
publicè in Alma Academia Cracouien: DEO auſpice diſputanda; anno à partu Virginis M.DC.XXIII, die menſis Auguſti *19*, hora *10*, in lectorio clariſsimorum D D. Theologorum.

53361 I

Permiſſu M. D. Rectoris.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Typographica Franciſci Ceſarij.

X.

Ad almam Cracouien: Academiam, Ode Tric: Te: : dedicatoria.

REgum propages, eximium iubar
Septemtrionum, Craci Academia;
Rarum Deûm optimum, illa sæcla
Aurea quod meritò beasint:

Illustre in almâ nectare Galliâ
Minerua nutrit prisca tuum genus;
Hinc atque machinam vniuersi
Progenie vegetas perampla.

Es Diua Diui gnata IAGELLONIS,
Regum sequentum prospera gratijs:
Regem marita ceu maritum
Nacta nouum, facie decora

Annisque vernans, tergemina ferox
Virtute, mentem læta; coruscat ab
Auro corusco, nuptiarum
Munere perpetuo beata.

Iurata sicut Penelope altera,
Æuum perennas relligione Dei
Cum viuidâ, semper vetusta
Ac cyclica pietate præstans.

Intacta regnas Hæreseωn lue,
Vmbram pauent hæ terribiles tuam
Hydræ, ac Charybdes veritatis,
Hi rabidi graphicique ventres.

Quod

Quod propalàm dat iure tibi tuo,
Præstes, Tridenti, concilij sacro-
sancti HOSIVS, quo Præsulum te
Numina nobilitant suprema.

Adsis Lycæi plurima gloria,
Arctous orbis quâ viget vnicâ;
Regnata disciplinam ad illam
Peruigili Sophiæ vetustam,

Ad normam adauges Herculeæ manus
Crementa felix publica: Lechiæ
Dare assolens Ecclesiæque,
Nomina magna virûm; tot ex te

Prudentiæ viuæ agmina prodeunt,
Funduntur & tot pectora fortium ab
Equo velut Troiano, & illa
Corcula Pontificum. Sed istud,

Musa efferet quæ, quo vel in vltimas
Porrecta terras est tua nominis
Diuina maiestas: Tua es tu
Rebus in omnibus & loco omni.

Adsis togatis Diua Academia
Nostris duellis, quod sumus id sumus
Per quam DEO freti. O IAGELLI
Vnica filia: Digna, quisque

Non improbus, cui, quotidie innouet
Laudes per orbem; sors cùm ea quàmlibet
Est optimorum ætate nostra:
Vt celebras ita penè haberi.

AD MAGNIFICVM ET ADMODVM REVERENDVM DOMINVM,
D. IACOBVM NAYMANOVICIVM I.V.D. ARCHIDIACONUM

conum Pilecen: almæ Academiæ Rectorem dignissimum &c. &c. ac insimul ad peraugustum MAIORIS DOMVS collegium.

EN & fides SLOVACII conatuum,
Mentem Stagiritæ enthei reconditam
Impigra ruspari; pudens adit oculos
Vestros inopsque à spiritibus; arbitrio
Animata vestro cor resumeret nisi.
Vobis, oculei ocelle iuris & caput
Nostrum, atq; tu corona Maiorum amsacra,
Nil allubescit æquè vt optima nauitas:
Hinc vos ad vnguem penè vobis cognitam,
Probarier palàm cupistis indolem
Nostram: suum finxerat ita Linus Herculem,
Daret specimen vt orbi, Atlas quî esse alter ac
Domare monstrorum ferociam queat.
Nec deserit me pectoris flagrantia
Vt vsibus me mancipem vestris; eam
Vestro inclyto fouete patrocinio.

Ad vniuerſos Philoſophiæ excellentiſsimos profeſsores.

ERgo frons hilaret noſtrum pulcherrima veſtra
Conatum, Sophiæ veteris veneranda propago;
Voluite nunc animo mecum non Æacidum illas
Scipiadumq́ue minas, nam fert ſua tempora quidq́ue;
Sed quid mirifico cœlos in tramite voluit.
Hæc ego mente putans, multùm ac ratione vagatus,
Veri tranſpicio tacita dum indagine ſolem;
Interea properant magnum per inane vapores,
Denſatiq́ nigra rapiunt caligine cælum;
Mox latè horreſcunt grando, imbres, fulmina, venti;
Horrendùm populant cultum omnem fructibus agrum;
Frondibus ac ſyluis ſyluæ viduantur honoræ,
Ferueſcunt nimiùm metuendis fluctibus vndæ.
Omnia nigreſcunt tenebris, ſqualoribus horrent
Omnia, Phæbus obit, tacitâ Phæbe glomeratur
Æſtus: relligio Æthiopum cui caſca fuiſſet,
Numina crediderit Diuûm (mirabile dictu)
Æthere perrupto caſura, chaoſúe futurum.
Ingemui caſum, ſtat mens incerta futuri,
Anxius ac vitæ, certis penetralibus abdor;
Deteſtata mihi nam barbara pectora Cimbri,
Aduerſi in furibundam vndarum diluuiem, qui,
Præcipitandam, cum ferro ſudibusq́ue ruebant;
Vana neque hæc, placant quòd vota timorq; Tonantem.

Ecce

Ecce ſed auditi ponuntur in aure boatus,
(Tempus erat quo cuncta ſilent) ſuccreſcere lentê
Lumina conſpicio, radianti huic æmula ſoli.
Horreo membra iterum, ſuſpiria denſo profunda:
Tum rectà, diâ vir maieſtate decorus,
Ad memet maturat iter liquidum aere quieto.

Credite, vera cano; mittens effarier, iſtud
Me fieret vigilem, liquido ſomnone ligatum?

Os humeroſque Deo compar vir ille verendus,
Æternans roſeæ totus candore iuuentæ
Fulgurat obtutu prædulci, magnanimorum
Spiritus heroum vultum olli temperat almum,
Corpus veſte fluit formoſa, humerique pharetra;
Sapphirini orbes, lux albicat aurea circum.
Vox diuina illi: ſum inquit fraterque Dianæ,
Muſarumque Deus, veri iudexque ſupremus:
Vinces tu rabiem errorum certiſsimus omnem,
Si tibi dux celeber, rerum ac planiſsimus ordo:
Perplaceant (moneo) tibi ſemper Lechicæ Athenæ,
Perpes fama æqui; eſt quibus almi more Lycæi,
Impietas certis fraus quæque perempta ſagittis.

Hæc vbi dicta dedit, quà venit tendit Olympum,
Ac ſubitò per amœnum riſêre omnia ſudum.

Ergo maniple Sophûm, quo Pallas Lechica viuit,
Armabor clypeis ego AQVINI à turribus altis,
Vos vacuate ſuam locupletem quiſque pharetram.

Virg. 6. Æneid. Quiſq. ſuos patimur manes

QVÆ.

QVÆSTIO.

V. *Corpora cælestia, quibus certa est simplicitas, certaque vis concessa, regendi ac conseruandi sublunaria: non modò per inditam sibi naturam, capite statim primo libri secundi Physici Aristotelei, vniuersim explanatam; verùm etiam ab adstante vnicuiq; mente, in orbem moueantur nec ne?*

CONCLVSIO I.

Sunt cæleftia corpora in suo genere simplicia; ac gubernant seruantque mundum sublunarem modo certo.

COROLLARIA.

I. Non adeò simplicitatem hîc Metaphysicā intelligimus, quę reuera datur in cælo, verbi causâ ex genere & differentia ex actu & potentia; sed potiùs Physicam illam præsenti propriam negocio, quâ naturalia corpora, dicūtur primâ ipsâ materiâ certo accidentium inuestitâ tegmine & forma constare, parte velut gemina vnumquodq; ab intra constituente: perinde ac elementa 4, quoad naturam spectata genuinam, sunt ab omni corporum concretione libera.

II. Non est Logico genere aliud cælorum materia ab elemen-

elementari, nisi specie; materia verò ista primum vniuersi ac generalissimum subiectum, omni penitùs actu ex se destituitur.

III. Est sua cuique cælo forma, pars naturæ cælicæ multò nobilior, immersa materię, extra omnem positæ priuationem ob æternitatem ipsiusmet cæli; per quam formã, sunt vltro citroque diuersa, eadem cælestia corpora. His verò illud addimus, quòd Philosopho priuatio dicatur principium, id quo gaudent sola generabilia; quæ quidem ille voluit, hac in parte primùm ante omnia expedire, tanquam nobis notiora.

IV. Naturam rerum parentem tollit, quisquis regi à cælo ac conseruari mundum hunc sublunarem negauerit: & quoniam creati cuiusuis limitatur vndiquaque actio; agit cælum tribus his veluti instrumentis, motu orbico, lumine, & occulto influxu: inter quæ instrumenta, motus generalissimum est, distinctus in diurnum & obliquum; quem motum vtrumque, accurata Astronomorum diligentia protraxit ad decem vsque genera, tam multam videns ad oculum, diuersam illius ratam fixamque periodum.

V. Calor, à solis lumine prognatus per reflexionem à terræ superficie, non peruadit terrena viscera, vbi potissimùm proferuntur mineralia, id verò absque controuersia cælorum præsidio; quod secretam vocant influentiam, quam damus peculiarem cuique planetæ, authore Ptolomæo Astronomorum omnium facilè principe. Agnoscimus porrò per experientiam, magistram rerum valentissimam

ſimam, plura reconditorum horum influxuum effecta, etiam ſupra terram; vt quòd & fiant naturaliter & non poſſint fieri nec viuere pleraque alicubi, & quòd aërem nunc circumſtet calor nunc attenuet ſiccitas, iam vexet frigus iam humor; quæ duo poſtrema in ſolum reijciunt abditum influxum. Hinc indubitata ſunt apud nos: Lumen eſſe qualitatem ſenſibilem, cum realem tum intentionalem, & à ſole tanquam fonte vnico, deriuari in cælum reliquũ; Tum quòd accidens, virtute ſubſtantiæ producere queat ſubſtantiam. De libero arbitrio nihil interim niſi hoc, quòd poſsit aliquo modo inclinari à cælo; quam inclinationem, varij variè recipiunt pro corporis temperie & recto rationis vſu.

CONCLVSIO II.

Natura cæli vniuerſim accepta, non eſt alia quàm quæ deſcribitur 2do Phyſic: ab Ariſtotele.

COROLLARIA.

I. Emedio id ſanæ Philoſophiæ promitur, quædam naturalium corporum, habere in ſe principium motus & actiuum & paſsiuum, quædam duntaxat poſterius; vt ea omnia, quorum forma vſque eò immergitur materiæ, vt virtute efficiendi motum careat: in his numeratur cælum, ac proinde ad ſui motum orbicum, requirit adſtans externum; non aliter atque elementa 4 mouent ſeſe, at non mouentur à ſeipſis verùm à generante.

II. Opera naturæ in ſublunari mundo, nulli ferè non ſunt obuia; in cælo autem pauci illa rimantur aſſequunturque, effectuſque illorum, vix aliqui certò prænoſcunt quàm fiant.

III. Motus cæli eſt illius perfectio, ad nullam ordinatus quietem; contra atque rerum ſublunarium. Vnde certum eſt, quòd Ariſtoteles initio libri 2 Phyſici definiat, naturam eſſe principium & cauſam vt id moueatur atque quieſcat, in quo ineſt primo perſe & non per accidens: aſſerimus tamen hæc duo (moueatur & quieſcat) non vbique iunctim vigere.

IV. Tota cælorum moles, eundem ſemper cuſtodit locum, incedens per ipſum gratiâ producendi conſeruandique ſublunaria.

V. Ordinem ſtupemus mirificum in natura, cuique creatorum generi impartiente penſa debita, certo ſemper fine; quem caſus cum fortuna, in ſolo elementari mundo interdum præuertunt, ſtipant interdum tanquam comites indiuiſi: inter hæc autem creata omnia ſunt nobiliſsimæ intelligentiæ, certuſque earũ chorus voluit perpetuò reuoluitque æthera lucidũ; ſuo circumflexo ambitu hæc omnia complectentẽ inferiora: hinc eſt vnicus numero primi cæli motus, à quo mẽſurantur deinceps, quotquot dantur aliorum cælorum & ſublunarium omnium motus ac tempora; ſuum peculiare nacta diſcrimen, iuxta mobilium diuerſitatem acquirentium certam periodum, & quadantenus iuxta mentis humanæ arbitrium: hinc ſerua

tur-

tur mira quædam harmonia, rebus in omnibus tam magni quàm parui mundi; quę si vbique perpetuaret, vigeret semper pax pulcherrima, pax florentissima, pax desideratissima, atque optima ratio quiduis vbique locorum æternùm perbearet.

CONCLVSIO III.

Cælum vnumquodque, adsistens regyrat intelligentia; & præter hanc, etiam natura illis intima.

COROLLARIA.

I. Est apodixis apud nos; cælum non informari ab intelligentia nisi metaphoricè, pariterque cælestem motum ratione ipsius esse naturalem.

II. Incumbit Metaphysico speculari intelligentias; ad Physicam tamen pertinent quatenus cælorum agitationi præsident; quemadmodum & rationalem animam Physicus hac nonnisi lege considerat, quòd corpus informet.

III. Versent licet vniformiter cælum intelligentiæ, nihilominus causant perpetuam vicissitudinem sub concauo lunæ, deputato ad eam ab omnium Motore primo Deo; quem liberè quiduis operari credimus, at & concurrere cum qualibet à se alia causa, ex mente Philosophi fatemur, cum libera quidem liberè, cum naturali necessariò.

IV. Cælo ineſt intimè perpetua inclinatio ad centrum mundi circumeundum, inſtructo quoque ad rem eam, per ſuam naturam requiſitis conditionibus: ad cuius natiuam hanc quaſi appetitionem implendam, adaptat ſe motrix intelligentia; percita flammanti deſiderio ac intellectu, vt placeat ſupremæ omnipotenti Cauſſæ. Quocirca dum ſtabunt cæli poſt tremendum diem iudicij, non id fiet abſque miraculo.

V. Perabſurdum eſt, violenter motu proprio cælum rotari; ac eundem motum eſſe tranſnaturalem, eſto paradoxon in Lycæo Philoſophi.

GLORIA ET GRATIA DEO, AC DEIPARÆ VIRGINI.